



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**MDCLXXXVII**

Q. 9. Vtrum pura creatura possit perfectè satisfacere ex iustitia stricta pro iniuria Deo illata per peccatum mortale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

11. Ad 2. distinguo maiorem: nulla actio, qua Deus exercet formaliter suum supremum dominium, purè permissivè, permissione, beneplaciti, potest esse læsio diuini dominij, si Deus sit inuitus voluntate signi, qua talem actionem prohibeat, & nolit cedere iuri suo; nego si non sit inuitus voluntate signi, concedo: distinguo eodem pacto minorem; ac nego; consequentiam. Christus etiam vt homo habuit dominium, quo potuit impedire mortem suam, vel illam permittere, adeoque mors Christi fuit exercitium dominij, quo Christus voluit suam mortem permittere, & tamen quia Christus mortuus est inuitus voluntate signi, siquidem noluit cedere iuri suo, passus est iniuriam; ergo à pari.

12. Ad 3. distinguo maiorem: de ratione iniuriæ est, vt per illam impediatur aliquis vsus diuinæ libertatis volitus voluntate signi, concedo; volitus voluntate beneplaciti, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Omissio peccati est aliquis vsus diuinæ libertatis possibilis in actu primo proximo, & à Deo volitus voluntate signi, qua præcipit talem omissionem titulo supremi dominij: hunc autem vsus diuinæ libertatis peccator impedit, ideoque Deo facit iniuriam.

### QVÆSTIO IX.

*Virum pura creatura possit perfectè satisfacere ex iustitia stricta pro iniuria Deo illata per peccatum mortale?*

1. **V**idetur, quod possit: primo, quia si sacrilegus, & blasphemus ingerat proximo malam existimationem de Deo, & famam Deo auferat, satisfacit adæquatè pro iniuria Deo illata, si ita famam restituat, vt eundem proximum suasionem, & retractationem reducat ad eandem bonam existimationem, quam de Deo habebat; sed potest hoc facere; ergo &c.

2. Secundò omne peccatum eatenus solum est iniustitia, & iniuria contra Deum, quatenus aufert Deo honorem, & subiectionem propriam serui debitam Deo, vt domino; sed potest pura creatura reddere Deo talem honorem, & subiectionem, vel saltem reddere æqualem; ergo potest Deo satisfacere perfectè, & æqualiter.

3. Tertiò Deus habet ius strictum iustitiæ solum ad hoc, vt reddatur illi bonum æquale bono ablato: ad hoc autem, vt ipsi reddatur bonum æquale malo iniuriæ, non habet ius strictum iustitiæ, sed habet solum ius religionis: sed pura creatura licet non possit reddere Deo bonum æquale malo iniuriæ, potest reddere bonum æquale bono ablato; ergo potest Deo satisfacere ex iustitia, licet non possit ex religione.

4. Respondeo, quod quia ostendimus

creaturam, peccando committere, vel saltem posse committere iniustitiam strictam, ac Deo iniuriam inferre, sequitur, vt examinemus, vtum pura creatura possit perfectè, & adæquatè satisfacere pro iniuria Deo illata?

5. Prima sententia docet puram creaturam posse perfectè satisfacere pro iniuria reali, non autem pro personali. Addunt per solam iniuriam realem peccari contra iustitiam strictam, per personalem non peccari contra iustitiam strictam, sed contra religionem, obseruantiam, vel aliam virtutem innominatam. Hinc inferunt incarnationem non fuisse necessariam ad satisfaciendum Deo ex iustitia stricta pro iniuria ipsi allata: siquidem pura creatura potuisset ex iustitia stricta Deo satisfacere pro iniuria reali.

6. Contra hanc sententiam dicendum, primo: non solum per iniuriam realem, sed etiam per personalem peccatur contra iustitiam strictam. Probatur: nam quando fit, contra ius strictum alterius ipso inuito, peccatur contra iustitiam strictam; sed non solum per iniuriam realem, sed etiam per personalem fit contra ius strictum alterius; ergo &c. Probatur minor: nam vnusquisque habet ius strictum ad hoc, vt non afficiatur iniuria, non solum reali, sed etiam personali, ac præsertim ad hoc, vt non contemnatur; ergo omnis iniuria personalis, præsertim contemptus, & inhonorationis indebitæ, est contra ius strictum; sed peccatum mortale continet iniuriam personalem contemptus, & inhonorationis Dei vt vltimi finis, & primæ regulæ; ergo peccatum mortale, in quantum continet iniuriam personalem, est contra ius strictum Dei. Confirmatur: nam vnusquisque habet ius strictum ad hoc, vt per contemptum non lædatur in honore ipsi debito.

7. Dicendum secundò: sicut ex iniuria reali in eo, qui afficitur iniuria, oritur ius strictum ad hoc, vt illi restituatur res ablata, vel vt restituatur æquale ablato, sic ex iniuria personali oritur ius strictum ad hoc, vt detur compensatio æqualis. Probatur: nam qui passus est iniuriam furti ex. gra. habet ius strictum, non solum ad hoc, vt sibi restituatur res ablata, sed etiam ad hoc, vt sibi satisfiat pro iniuria accepta, puniendo reum, vel alia ratione, ideoque licet qui accepit iniuriam furti, non possit priuata auctoritate sumere vindictam de iniuria sibi allata, tamen potest instare apud iudicem, vt puniat furem, & iudex peccat contra iustitiam commutatiuam & contra ius eius, qui passus est iniuriam, nisi puniat furem, vel cogat ad dandam æqualem satisfactionem. Idem dic de alijs iniurijs personalibus. Confirmatur ex Aristotele, qui 5. ethicorum, cap. 2. docet iustitiam commutatiuam, ac strictam intendere, & ponere æqualitatem, non solum in commutationibus voluntarijs emptionis, venditionis &c., sed etiam in commutationibus inuoluntarijs, intendendo

do nimirum, vt cum quis iniuria afficit alterum, ponat satisfactionem æqualem, & si nolit, cogatur à iudice ad illam ponendam, vel saltem ad patiendam pœnam æqualem, vt explicatum est to. 2. in tractatu de iust. & iure q. 191.

8. Dicendum tertio: ad satisfaciendum, perfectè pro iniuria reali, non sufficit, vt reddatur bonum æquale bono ablato, sed etiam requiritur, vt reddatur bonum æquale malo iniustæ ablationis. Probatur: nam per iniuriam realem furti ex. gra. non solum auferitur bonum pecuniæ, sed etiam infertur malum iniustæ ablationis; ergo ad perfectè satisfaciendum, non solum debet reddi bonum æquale pecuniæ ablatæ, sed etiam debet dari bonum æquale malo ipsius iniustæ ablationis.

9. Dicendum quarto: pura creatura non potest perfectè satisfacere pro iniuria etiam reali Deo illata per peccatum mortale. Probatur: nam vt perfectè satisfaceret, non solum deberet Deo reddere bonum æquale bono ablato per peccatum mortale, sed etiam deberet reddere bonum æquale malo, & damno peccati mortalis; sed vt dictū est to. 2. lib. 5. de actibus humanis, qu. 3. pura creatura non potest ponere actum æquè bonum, ac est malum peccatum mortale; ergo pura creatura, non potest æqualiter satisfacere pro peccato mortali, etiam in quantum est iniuria Deo illata.

10. Ad 1. distinguo maiorem: si sacrilegus, & blasphemus reddat Deo famam, satisfacit adequatè pro bono famæ ablatæ, concedo; pro malo ipsius iniustæ ablationis, nego; concedo minorem; & nego consequentiam. Licet sacrilegus, & blasphemus in casu posito reddat Deo bonum æquale bono ablato, tamen non reddit bonum æquale malo ipsius iniustæ ablationis; ergo non satisfacit æqualiter. Idem dic ad alias similes obiectiones.

11. Ad 2. distinguo maiorem; omne peccatum eatenus solum est iniustitia, quatenus vt cumque auferat Deo honorem, & subiectionem propriam serui, nego; quatenus auferat ablatione iniuriosa, & sic infert Deo malum extrinsecum iniuriæ, & contemptus contra ius, quod Deus habet. vt non contemnatur, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Vt creatura satisfaceret perfectè, & æqualiter pro iniuria reali, non solum deberet Deo reddere bonum æquale bono ablato, sed etiam bonum æquale malo ipsius ablationis iniustæ; hoc autem bonum reddere non potest, vt probatum est.

12. Dices: ad iniuriam realem spectat solum, quod auferatur aliqua res, puta pecunia, quod autem auferatur iniuste, non spectat ad iniuriam realem, sed solum ad personalem; ergo ad satisfaciendum Deo pro iniuria reali debiti honoris ablati, sufficit, vt reddatur honor æqualis honori ablato, nec requiritur, vt reddatur per honorationem æquè bonam, ac fuit mala iniusta inhonoratio.

13. Respondeo, negando antecedens. Cum

enim iniuria realis furti ex. gra. definiatur iniusta ablatio pecuniæ, vel alterius rei pecuniæ æstimabilis, procul dubio ad iniuriam realem furti non sufficit, vt sit ablatio pecuniæ &c. sed requiritur, vt sit iniusta ablatio, ac proinde ad satisfaciendum æqualiter pro iniuria reali furti, non sufficit, vt reddatur æquale rei ablatæ; sed requiritur, vt reddatur bonum æquale malo iniustæ ablationis; ergo ad satisfaciendum æqualiter pro iniuria reali Deo illata, non sufficit, vt reddatur bonum æquale bono ablato, sed debet reddi bonum æquale malo iniustæ ablationis, & per redditionem æquè bonam, ac fuit mala iniusta ablatio, quod ex dictis impossibile est puræ creaturæ.

14. Quæres, quo pacto iniuria realis differat à personali, & vttrum iniuria realis includat personalem?

Respondeo, quod quia de ratione iniuriæ est, vt inferatur alicui personæ, omnis iniuria realis includit etiam iniuriam personalem genericè sumptam. Posito hoc, iniuria vt sic, quæ est genericè personalis, in quantum infertur alicui personæ, diuiditur in personalem specificè, & realem. Iniuria personalis specificè est, quæ persona aliqua contra ius læditur circa constitutiuam ipsius personæ, ac naturæ. Iniuria realis est, quæ læditur circa extrinsecam personæ. Ex. gr. iniuria personalis est, quæ aliquis contra ius occiditur, mutilatur, percutitur. Iniuria realis est, quæ contra ius læditur in fama, honore, pecunijs, & alijs bonis, quæ pecunia æstimantur. Ideo iniuria realis diuidi potest in iniuriam infamationis, quæ alijs contra ius læditur in honore, & inhonoratur; iniuriam furti, quæ læditur in pecunijs, & alijs bonis externis, quæ pecunia mensurantur. Deo videtur non posse inferri iniuria personalis specificè, quæ læditur in propria natura diuinitatis, quæ incapax est læsionis, sed solum quæ læditur in natura humana assumpta à Verbo, ac de factò filius Dei, verus Deus consubstantialis Patri in natura humana assumpta passus est iniurias specificè personales, dum alapis cæsus est, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus, & occisus. Rursus Deo possunt inferri iniuriæ reales, per quas læditur in bonis externis, vt dum per blasphemias inhonoratur, & læditur in honore; per hæresim, quæ credatur, & dicatur iniustus, infamatur, & læditur in fama. Similiter quia Deus est supremus dominus omnium rerum, si quis Deo inuito voluntate signi, vtatur aliqua re, Deo infert iniuriam, quæ potest reduci ad furtum: ex. gr. quia Deus iure supremi dominij præcepit Adamo, ne comederet de fructu arboris scientiæ boni, & mali, Adam comedens de eo fructu Deo intulit iniuriam, quæ potest etiam reduci ad furtum. Cæterum regula generalis est, quod ad satisfaciendum ad æquatè non solum pro re ablata, sed etiam pro iniuria, seu sit personalis specificè, seu sit realis, non sufficit, vt reddatur æquale bono ablato, sed requiritur, vt reddatur redditione morali-  
ter

ter equè bona, ac fuit mala iniusta ablatio. Et quia vt dixi lib. 5. de Act. humanis, quæst. 33. nulla pura creatura potest exercere actum moraliter æquè bonum, ac est malum peccatum mortale, ideo nulla pura creatura potest Deo æqualiter satisfacere pro iniuria etiam reali peccati mortalis.

15. Ad 3. nego antecedens, ac dico, quod sicut Deus habet ius strictissimum ad omnia bona extrinseca, sic habet ius strictissimum ad hoc, vt nullum malum extrinsecum sibi inferatur; & sicut habet ius strictum ad hoc, vt si quis auferat aliquod bonum extrinsecum, auferens, si Deus exigat, restituat, vel illud, vel æquale, sic habet ius strictissimum titulo supremi dominij, vt si quis inferat Deo malum extrinsecum contemptus, vel iniuriæ &c. reddat Deo exigenti bonum æquale malo illato. Confirmatur: nam homo habet ius strictum, ne sibi sine causa inferatur malum alapa, & ad hoc, vt si fuerit illata alapa, reddatur satisfactio æqualis, ideoque potest talem satisfactionem exigere, & quandiu non obtinet, existimant homines illi non redditum esse quod debetur ex iustitia stricta; ergo à pari.

QVÆSTIO X.

*Virum Christus obligatus fuerit ex iustitia stricta ad satisfaciendum Deo pro peccatis hominum?*

1. Videtur, quod non: nemo enim obligatur ex iustitia stricta pro peccatis, ac debitis aliorum; sed peccata hominum non fuerunt peccata, & debita Christi; ergo &c.

2. Respondeo, quod quia diximus peccata mortalia esse proprias iniurias Deo illatas, ac pro ijs, in quantum sunt iniuriæ Deo illata, nullam puram creaturam posse perfectè, & æqualiter satisfacere, sequitur, vt examinemus, vtrum Christus obligatus fuerit ex iustitia stricta ad satisfaciendum Deo pro peccato Adæ, & pro peccatis omnium hominum; & vtrum potuerit satisfacere, ac de facto satisfecerit, satisfactione non solum æquali, sed etiam ex rigore iustitiæ? Si enim Christus potuit, nullaque creatura potuit satisfacere ex rigore iustitiæ, incarnatio fuit necessaria ad satisfaciendum Deo perfectè, ex rigore iustitiæ.

3. Dicendum primò: Christus obligatus fuit ex iustitia stricta ad satisfaciendum pro peccatis hominum.

Probat: nam quando aliquis per fidei iussionem, vel alium similem contractum ex consensu, & acceptatione creditoris, constituit se debitorem loco alterius, si ille obligabatur ex iustitia, etiam fidei iussor obligatur ex iustitia: sed homines, qui peccarunt, obligantur ex iustitia ad satisfaciendum Deo,

& quia non possunt satisfacere, Christus ex consensu, & acceptatione Patris constituit se debitorem loco hominum; ergo &c. Probat minor ex Scriptura, in qua insinuat Christus fuisse fidei iussorem, & sponsorem pro nobis. Ecclesiastici 19. dicitur: *Gratiam fidei iussoris non obliuiscaris: dedit enim pro te animam suam, quem locum de Christo ex Rabano, Suario de Incar. disp. 4. sect. 2. & ex alijs explicat Cornelius in Commentario. Apostolus ad Hebræos 7. dicit. Melioris testamenti sponsor factus est Iesus. Confirmatur: nam Isaiæ 53. dicitur, Posuit in eo Deus iniquitatem omnium nostrum: iniquitates eorum ipse portabit &c. sed hæc significant Christum se constituisse debitorem pro nobis; ergo &c. Ideo Christus in Scripturis peccata nostra vocat peccata sua, vt cum psalmo 68. in Persona Christi dicitur, Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita: vbi insipientiam, qua Adam comedit ex pomo vetito, Christus vocat insipientiam suam, & delicta nostra vocat delicta sua, vt explicat Bellarminus in Commentario: & psalmo 21. Christus dicit: Deus Deus meus, quare me dereliquisti, longe à salute mea verba delictorum meorum, quem locum explicans Augustinus dicit. Quorum delictorum? Cum de illo dictum sit qui peccatum non fecit, quomodo dicit delictorum meorum? nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra sua debita fecit, vt iustitiam suam nostram iustitiam faceret.*

4. Dices: quia peccatum Adami moraliter fuit peccatum nostrum, nos per Adami peccatum constituimur peccatores; ergo si peccata nostra moraliter essent peccata Christi, Christus per peccata nostra esset peccator; quod est absurdum.

5. Respondeo, distinguo consequens: si peccata nostra moraliter essent peccata Christi quoad culpam, concedo consequentiam; quoad solum debitum satisfaciendi, nego consequentiam. Ideo per peccatum Adami nos constituimur peccatores, quia peccatum Adami moraliter est nostrum quoad culpam, & quoad ipsam voluntatem peccandi. Nam propter alligationem nostrarum voluntatum cum voluntate Adami, Adamo volente peccare, nos omnes voluimus peccare, & de facto peccauimus. At peccata nostra sunt peccata Christi, non quoad culpam, & quoad voluntatem peccandi (neque enim voluntas Christi, quæ erat impeccabilis, alligata fuit voluntatibus nostris, itaut nobis peccantibus, Christus moraliter peccaret) sed sunt peccata Christi solum quoad debitum satisfaciendi, in quantum Christus videns nos non posse satisfacere, fidei iussit pro nobis, & constituit se debitorem ad satisfaciendum pro iniurijs, & offensis Deo illatis. Confirmatur: nam Christus constituens se debitorem ad satisfaciendum pro peccatis nostris, non solum non consensit peccatis nostris, sed voluit satisfacere, vt illa destrueret; ergo procul dubio non constituit se peccatorem quoad culpam, sed solum